



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 142. Condæus Princeps morti adjudicatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

§. CXLII.

Condæus Princeps morti adjudicatus.

*Thuan. l. c.* Nihilominus conquisitis undique testimoniis accusatio contra Condæum Principem urgebatur, qui etiam tandem plene confectis iudicii actis ad Regis Senatum adducitur, ad quem ab octodecim militaris Ordinis Equitibus, nonnullis Franciæ Paribus, ac quibusdam Præsidibus, supplicumque libellorum Magistris, & Senatoribus vocabatur, atque ab iis accedente plurimorum suffragio ad mortem condemnabatur, hancque sententiam, ut fertur, una omnes ratam habebant, exceptis Cancellario, & Monterio inducias eidem concedi postulante, & Ludovico Beallio, Sanceræ Comite, qui chirographum suum apponere renuebat. Hanc in rem Thuanus hæc scriptis tradidit: *Propositum quidem decretum, sed non subscriptum crediderim, & ita longo post tempore narrare solitum parentem meum memini, veraci, & sincero ingenio virum, cui semper præcipitatus ordo ille iudicii displicuerat, qui & hoc addebat, se Condæi clientibus pro ipso postulantibus id consilii dedisse, ut ad Regem, & Senatum, hoc est Patriorum curiam provocaret, se vero ac ceteros delegatos tanquam suspectos rejiceret, quo adempta delegatis iudicibus cognitione*

res

res integra ad Senatum remitteretur. Verum ut res se habuerit, id pro comperto habemus, quod mortis sententia fuerit adornata: illius vero promulgatio, atque executio per sacratioris Consilii auctoritatem firmanda, fuerit dilata, usquedum Montmorantius Connestabilis, qui hanc ob rem advocatus, ac Cantillia profectus jamjam iter aggredebatur, advenisset; agebatur enim de eo pariter custodiæ dando, eoquod illum in idem cum Condæo crimen pertrahere studerent: Verum Connestabilis de hoc consilio admonitus, in itinere substitit, atque Aureliam venire renuit, nisi prius de hujus negotii exitu certior fieret.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1560.

§. CXLIII.

*Rex morbo correptus, atque a Medicis derelictus.*

Cum Aulæ Proceres in hisce comitiis Connestabilem Montmorentium præsentem magis vererentur, minus vero ejus adventum peroptarent, hinc nequaquam illum, ut iter acceleraret, urgebant: interea pridie, ut fertur, ante diem, in qua mortis sententia proxime exequenda adversus Condæum Principem ferebatur, Franciscus II. Galliarum Rex morbo correptus est; quippe die sexta Novembris, cum ad ventionem progressurus esset, repentinis,

Thuan. 3. 26.

Hist. Eccles. Tom. XLIII. K k iis